UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Theologiae Mysticae Sive Exercitiorum Spiritualium Admodum Reverendi Patris P. Aloysii Siderei, Alias Vincentii Caraffa, Societatis Iesv Praepositi Generali, Tomvs ...

ex Italico Latino recenter idiomate opera et studio fidelissimi cuiusdam interpretis donatus

Peregrinvs terræ. Fascicvlvs Myrrhæ Siue Considerationes Variæ Super Plagas Et Vulnera Christi D.N. Itinerarium. Seraphinus. Civis coeli

**Caraffa, Vincenzo**

**Coloniae Agrippinae, 1660**

Amor Vita Dei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-49469

Visual Library

# CONSIDERATIO XXXII.

## AMOR DEI,

### *Amor Vita DEI.*

AMor Dei non eſt ſolùm vita animæ in Deo, ſed etiam Vita ipſius DEI, *ex affectu*. Quia amando Deum; cupio Deo ſuum Eſſe: & ſi hæc voluntas foret efficax, daret reipſa Deo Eſſe. Hinc inter omnes affectus, ut S. Bernardus docet, ſolus amor poteſt aliquo modo reddere Deo æquivalens. Unde ſi Deus amando me, donat mihi ſeipſum; & ego amando Deum, dono Deo ſeipſum. Sed ipſius donum in effectu eſt, noſtrum ſolum in affectu.

Hinc, ſicut Amor Dei eſt maximum donum, maximum Bonum, maxima gloria, quæ Deo poteſt exhiberi: quia in affectu datur Deus; datur tantum, quantum eſt Deus: ita ex oppoſito Odium Dei, quod continetur in peccato, & offenſa Dei, eſt maximum malum, maxima injuria, maximum damnum, quod Deo poteſt inferri! Quia peccatum in affectu non eſt aliud, quam peremptio, mors, & annihilatio Dei: tollit enim rationem Ultimi Finis, quæ eſt propria Deo, & conſtituit illam in creaturis.

Quantum ergo Deum amabis, tantùm oderis peccatum, & offenſam Dei. Odium, & Amor, regnent ſemper in corde tuo: Odium peccati, & Amor amoris Dei: quod eſt amare Vitam Dei, & odiſſe mortem Dei. Ubi etiam id notes, quemadmodum bono Dei conjunctum eſt noſtrum; quia ſi quæras, & ames vitam Dei, quæris, & amabis etiam propriam vitam animæ tuæ: ita etiam, cùm peccatum ſit quaſi mors Dei, cùm illo conjunctam eſſe offenſam, & veram mortem animæ tuæ.